



...dign...  
...ola: rap...  
...bonis op...  
...me ab oī p...  
...ellum s...  
...ad eritū aīe m...  
...quasi a...  
...prima refuge...



LIBER

V. 510

admitte quærimoniam meam, et ex tua promissione verum celestium instrues, os loquens mihi, contradicere, aut resistere neque fur in conspectum tuum supple. dures tuas perueniat. libera um recepsisti, ab omni periculo, is, saluum seruas, et incolumem.

III. IIII.

mutabunt labia mea  
scueris me iustificatione  
nunciabit lingua  
puum: quia

animi promissio, vtrōque me Domine, in explic abra que non erit certe vllum t is benefi ijs Dei contic el. at Non potes quis crua m, nisi didicisti iusticias Dei, et didicisti ab ipso osuo. am.

VI. VII.

at manus tua vt saluet me: quorandata tua elegi.

Quædam salutare tuum Domine

Quare Deus inuocandus. Vt animo, et cogitatione doctrinam celestem comprehendere, et pure, ac sincere alijs explicare possim, subblata voce clamorem ad te edo. Quare tueri meo et defende: vt de tuorum decretorum præscriptionibus viam, et mores gubernare queam.

III. IIII.

Præueni in immaturitate & maui: quia in verba tua super spera Præuenerunt oculi mei ad re culo, vt meditarer eloquia tua.

Quo ardore animi, quæ est fides, à circumstantia ris. Antelucanis horis euigilans, ortum solis quiritat præuerto, omnem spem meam, præsidiumq; in tuo verrens. Nondum cum vaga celo sidera fulgens aurora fulgillum relinquo, vt mediter verbum tuum: deq; tuis m ad curæ me commissos sermones habeam.

V.

Vocem meam audi secundum fericordiam tuam Domine: & secundum iudicium tuum viuifica me

Cuius fiducia orandum, non videlicet vllius vi. meriti, quod ab opibus nostræ naturæ proficisci potest. tum misericordiae, et clem ta peccata, inquit Ambrosius implorantis tuam tam mihi hanc quam ex hominibus

es me

DE CIRCVLO  
OPERVM ET IV-  
DICIORVM DEI,

Qui

*A lapsis primis Hebræis trahi inceptus, in erectis vltimis  
Hebræis finietur:*

Et,

*De prodromis conuersionis Orientis & Meridiei, cuius  
initia apud Hungaros & Venetos cœpta.*

Et

*De ratione ineunda sanctæ pacis inter omnes Christianos,  
qui verum illum DEVM, essentiâ vnum, sed tribus  
distinctum personis inuocant.*

THESES XLI. ad meditandum & elaborandum propositæ, omni-  
bus piis, qui Ecclesiæ Christi ædificationem, salutem Imperatoris & Im-  
perii sacri, aliorumque Regum & Regnorum, Principum & Rerum-  
publicarum Christianarum: in summa, commune orbis Chri-  
stiani bonum, pacem & tranquillitatem hisce per-  
turbatis temporibus, & legitimam contra  
turbatores pacis defensionem  
expetunt.

Autore

STEPHANO PANNONIO  
BELOGRADENSI.

Actor. 15. ♀. 8.

*Nota sunt DEO ab omni euo omnia opera sua.*

Anno Christi 1608.

12. III. 2725  
3. hi.

5

# MVNDVS SPECVLVM SAPIENTIAE DEI,

## Homo microcosmos & domici- lium Spiritus sancti.

In lapsis Hebraeis, pri-  
mis illis parentibus  
initium Ecclesiae  
in terris mili-  
tantis.

A

B

In erectis vltimis He-  
braeis finis Ecclesiae  
militantis.



Creavit mundum  
Deus quando voluit.

Finiet quando vo-  
let.

2. Petri 3.

*Vnus dies apud Dominum uti mille anni, & mille  
anni uti vnus dies: Non tardabit Do-  
minus suis promissis.*





## CAPITA HVIVS TRACTATVS.

### I.

**N**ITIVM huius circuli operum & iudicio-  
rum DEI ludæis inceptum, in iisdem fi-  
niendum.

### II.

Iudæos qui in ἀπειθεία, id est, contumacia nunc  
versantur, Rom. II. *vbi plenitudo gentium introierit*  
*conuertendos ad fidem Christianam*, id quod fiet ante vl-  
timam mundi ἀπισίαν, id est, incredulitatem; quæ  
demum sub finem mundi post conuersionem lu-  
dæorum sequetur.

### III.

Reformationem Christianismi in Oriente  
futuram, prodromus conuersionis ludæorum.

### IV.

Zelum Religionis Euangelicæ in Hungaria  
esse prodromum zeli Orientis & Meridiei, & apud  
ipfos etiam Venetos in cineribus igniculos zeli  
DEI non extinctos, sed ad tempus latitantes.

## CIRCVLVVS OPERVM

## V.

Causam motuum in Hungaria esse Pontificem Romanum. Nam finem belli in Hungaria contra Turcas fuisse per Iesuitas pontifici sub hoc pallio belli Turcici & adhuc esse, futurumque esse propositum extirpandi Euangelicos, & atterendi imminuendiq; Germanorum imperium, & euehendi ad illud IBERVM, filium suum vnigenitum & dilectissimum.

## VI.

Quam astute hoc à Pontifice actum, dum ad templa Euangelicis eripienda, & proscribendos inobedientes Imperatorem hortatur.

## VII.

Quam subtiliter Pontifex per suum Monachum pacem inter status Belgici & Hispanum erigere nunc conatur, vt scilicet ad alias occasiones & sui Regni Hierarchiæ Romanæ augendæ sit magis attentus, & paratus & potens, sapienti sat dictum.

## VIII.

Nullius Imperatoris feliciora & initia & progressus belli fuisse contra Turcas: ad nullum Imperatorem etiam remotiores & splendidiores legationes missas, quam ad hunc nostrum RVDOLPHVM II, quam diu libertas Religionis Hungaris & aliis relicta fuit, & quam diu de proscriptionibus

bus

ET IVDICIORVM DEI. 1025

bus vrbium Euangelicarum in Germania auditū, multò minus executio administrata non fuit, & quamdiu Cancellaria vtriusque religionis hominibus dignis permixta & temperata fuit. Quæ sanè consilia Imperatori nemo nisi summus Imperatoris inimicus dare potuit. Ac quia hæc consilia per Iesuitas Papa dedit, ergo *Jesuitæ & Papa* sunt Imperatoris & Imperii inimici.

IX.

Consiliariis, qui Jesuitarum consiliis reguntur, vt plurimum hos motus Hungaricos & vicinorum esse imputandos, qui malè informando Imperatorem & actores, & iudices, & executores contra Euangelicos sese fecêre: prohibendo & occludendo omnes aditus, ne à malè informato Imperatore, ad melius informandum appellare liceat.

X.

Ac cum ob eiusmodi consilia non modo Hungariæ status, sed & vicinarum Regionum ipsi vsque imperii in summo periculo versetur, huic malo, Deo iuuante, duobus remediis mederi posse.

XI.

Primum medium esse, vt S. Cæs. Maiestas, Dominus & Rex noster clementissimus, sumpto à Rege Galliarum exemplo, Consiliarios & officii-

## CIRCVLVS OPERVM

ales Aulæ suæ regnorum & prouinciarum suarum secundum hæc tempora temperet: permixtis vbi que Euangelicis consiliariis & officialibus, & imprimis vbi res summæ deliberandæ sunt. Idem fecisse sanctæ memoriæ *Ferdinandum & Maximilianum* Imperatores. Secundum, vt quòd semel transactum fideliter, constanter & sincerè seruetur; & sancta pax & libertas Religionis cum ἀμνισία, id est, iniuriarum obliuione erigatur.

## XII.

Non audiendum Pontificem, *Hæreticis non esse fidem seruandam* dicentem: Talia enim periuria, non modo populus Dei, sed ipsi Ethnici & Barbarissimæ quæque gentes abominatæ sunt. Quòd si hoc paradoxon Papæ valere debet, Ergo nullam pacificationem cum Papa, sed cum catholico Romanis ineundam.

## XIII.

Eos qui pacta fidemq; datam fregère, semper insignes calamitates, imò Regum & Regnorum euerfiones subsequutas.

## XIV.

Tria, quæ Romanus Pontifex præ cæteris ex pacificatione Hungarica exempta cupit; illa esse, animam pacis, & tranquillitatis publicæ neruos,  
& vin-

## ET IVDICIORVM DEI.

& vincula, quibus non firmatis, multò magis verò sublatis, & Hungariæ & Imperio ruinam & mortem imminere.

## XV.

Ea sunt, *ut primò Catholicis Romanis, & alteri parti Evangelicis, qui Augustana & Heluetiorum confessioni adherent, libertas Religionis nullo excepto concedatur. Secundò, in euehendis ad officia & munera publica hominibus, ne religio sed dignitas personæ attendatur. Tertiò, Ne Iesuitæ Terrestria bona possideant, neve forum ciuile, ubi non agitur de spiritualibus rebus, declinent.*

## XVI.

Imperatoris officium esse, ne patiatur hæc sanctissima Regnorum & imperii sui vincula labefactari, multò minus astutiâ Romani piscatoris, qui in turbatis aquis non Imperatori, sed sibi piscari consuevit, destruere.

## XVII.

Itaque Imperatoris, Regum & Principum authoritate adigendus, ut sese intra cancellos suæ Diœcesis Italicæ contineat, & alibi non imperet.

CIRCVLVS OPERVM  
XVIII.

Imperator, Reges & Principes in suis Regnis & prouinciis sint secundum leges diuinas supremi directores & inspectores Ecclesiarum, erectis consistoriis & presbyteris, seu superintendentibus, seu prouincialibus eorum, & concessa illis libertate, vt alii alios liberè monere, docere, non autem alii aliis imperare; vtque & Magistratum Politicum officii sui monere queant, vtentes clauibus Christi, nō ad conquirendas sibi Regiones, sed ad lucrandas animas Christo. Similiter & concilia, seu synodos ipsi, vbi opus erit, conuocent, & magistratus Politicus consilia cum Ecclesiis communicato.

## XIX.

Ecclesiæ tam Catholicæ Romanæ, quam Orthodoxæ Euangelicæ ne dependeant ab vno capite Ecclesiastico, sed exemplo Apostolorum, sint presbyteri.

## XX.

Summo Sacerdotio, quod in Ecclesia veteri fuit typus Christi, iam sublato, à Christo & Apostolis eius institutam non monarchiam, sed aristocratiam, teste ipso Petro, qui se *συμπρεσβύτερον* nominat. Quod si Papa cum clero suo Leuitas imitari cupit, sequatur expressum Dei mandatum, *ne Leuitis in diuisione terræ Israel aliqua portio detur.*

## XXI. Tum

1079  
ET IUDICIORVM DEI. 019

XXI.  
Tum à Græcis, tum à Latinis Patribus reclamatum fuisse primatui in Ecclesia, eò quòd erecto illo, Ecclesia & monendi libertatem alios, & Religionis puritatem amitteret.

XXII.

A scriptis polemicis, sicuti Pontificii, ita Evangelici omnes, authoritate Imperatoris, Regum & Principum & Rerumpublicarum interueniente, tum contra se, tum inter se abstineant; sed per didascalica scripta alii alios, vbi opus est, doceant, moneant; non autem dominantur alii in alios.

XXIII.

Electorum spiritualium in Imperio Germanorum maiorem esse dignitatem & authoritatem, quam Romani Episcopi; quia illos ius habere cum secularibus Electoribus eligendi Imperatorem, quam Romanus Episcopus non habet. Quod autem nonnulli Imperatores passi sunt, se à Pontifice Romano, sub emendicato dandæ illis benedictionis prætextu confirmari, id de facto, & non de iure actum. Nec exempla in leges trahenda, nisi quis *Caroli quinti* exemplum imitari velit, vt imperet pontifici, & non Pontifex illi.

XXIII.

Imperatoris potestatem esse & Romanum

B

## CIRCVLVS OPERVM

Episcopum & alios Imperii Regnorumque suorum Episcopos ex consilio illorum consistoriorum, vel capitulorum, quibus illi Episcopatus reguntur, confirmare, & ab officio remouere, paremque potestatem alios Reges, Principes & Respublicas Christianas in suis regnis & prouinciis habere.

XXV.

Vnitatem Ecclesie Romanæ per Regna & prouincias Christianas Catholicos Romanos colere posse, modò ne vnus illis dominetur, aut alii aliis imperent.

XXVI.

Ac cum Romani Catholici innumeros ordines, ritus & ceremonias & traditiones diuersas habeant, & tamen vinculo vnitatis ligentur;

XXVII.

Idem Euangelicis faciendum, ne patiantur propter minutiores inter se differentias, quæ vix umbra Papalium sunt, sanctum inter se vnitatis fraternæ vinculum ob adiaphora quædam & disciplinæ diuersitatem, quæ res semper in libertate Ecclesie fuerunt, sunt, & erunt, ob quorundam inquieta ingenia & inutiles quæstiones eorum, quibus magis suam, quam Christi gloriam quaerunt, disiungere.

XXVIII.

Catho-

ET IUDICIORVM DEI.

151.  
II

Catholici-Romani & Euangelici-Catholici, cum vtriq; verum illum vnum essentia Deum in tribus personis adorant, sancto quoq; politico vinculo sint inter se contra Turcas & Arrianos, omnesq; pacis huius sanctæ turbatores ligati, uniti, confœderati.

XXIX.

Ex hoc Imperatori, Regibus Principibusq; authoritas & augmentum, Ecclesiæ salus, ædificatio, & libertas, & zelus pietatis, populi erga magistratum suum amor, & commune vbiq; pacis vinculum sequetur.

XXX.

Neminem verè Augustū Imperatorē Christianum fieri posse, nec Turcas gentesq; debellare posse, siue is sit Pontificiæ, siue Euangelicæ Religionis, nisi concessa Christianis, qui nomen S. S. Trinitatis veri illius Dei inuocant, Religionis libertate.

XXXI.

Turcas tamen, Iudæos & alias gentes impossibile esse, verè ad Deum per Missam papalem, in qua quotidie totus Christus, verus Deus & homo creari, & pro viuis & mortuis offerri & adorari dicitur, conuerti posse; siquidē hæc vnico Christi sacrificio semel in cruce peracto detrahunt, &

nullo verbi Dei fundamento nituntur; sed potius  
scandalo sunt verè conuersuris ad Christum: verà  
autem ad Christum conuersionem fieri non posse,  
nisi per verbum Dei, *quod est potentia Dei ad salutem  
omni credenti.* Missa in primitiua Ecclesia Christia-  
nos & Martyres non fuisse Christo-lueratos, siqui-  
dem hoc sacrificium quotidianum reale propitia-  
torium, pro viuis & mortuis, ignorauit Ecclesia  
vsq; ad annum Christi 1200. teste omni puriori, &  
non deprauatâ aut supposititiâ antiquitate.

## XXXII.

Hæc dici veritatis & ædificationis causa, non  
autè ad condemnandos homines Papali doctrinæ  
adhærentes: nam Papismum, non Papistas; doctri-  
nam, non homines fugimus; cum inter hos, sicut  
inter Israelitas, traditionibus humanis pollutos  
tempore Eliæ Prophetæ Deus suos electos habeat,  
& nouit qui sint sui.

## XXXIII.

Americanos nõ verbo Dei, sed ense ad Chri-  
stianismum adigi, non ad fidem, sed ad ceremo-  
nias Romanæ Ecclesiæ, teste ipso Iosepho à Costa  
Iesuita, qui de Americanis rebus & doctè & piè  
scribit: *futurum tamen ut Americanis purum Dei Eu-  
angelium ante finem mundi prædicetur.*

## XXXIV.

Certo

ET IUDICIORVM DEI.

1033.

13

Certo certius esse appropinquante Orientis & Meridiei reformatione, insignem aliquem Imperatorem, cuius typi *Constantinus & Theodosius* vterq; *Magnus* fuere, palam proditurum, & erectâ libertate Religionis iis, qui nomen S S. Trinitatis profitentur, verum sublatâ prius seditiosissima Iesuitarum secta, aliquid magni ad gloriam Dei & Ecclesiæ ædificationē, ruinamq; Babylonis in mūdo peracturum: quod tamen seculum instar maiestatis Salomonicæ, & Ezechix, Iosixq; reformationis non diu est duraturum. Ecclesia enim Christi ne rebus secundis luxuriet, & ne lucis gratia Eclipsin in illa patiatur, eam subindē sub crucis exercitio exerceri oportet: quia plures pereunt Christiani in pace & securitate, quam in persecutionibus.


XXXV.

Operum & iudiciorum Dei circulus, & sol ille iustitiæ Christus progressus ab Oriente ad Occidentem, quo vicinior est extremitatibus initialis lineæ circuli ab Oriente tracti, eò vicinior factus Orienti in conclusione Circuli lineæ Occidentalis; magis quoq; radiis suis illuminabit Orientem tunc, cum duæ Solis Eclipses in Occidente & duæ in Oriente cōsummatae fuerint: quarum occiden-

B 3

tales duę  
 sunt in I-  
 talia &  
 Hispania,  
 & duę Ori-  
 entales in  
 Græcia &  
 Iudæa, cū  
 vicinis re-  
 motiori-  
 busq; regio-  
 nibus.

CIRCVLVS OPERVM  
 CVRSVS SOLIS IVSTITIÆ CHRISTI.



XXXVI.

Christiani Orientales zelo Christi ardentes,  
 & in ipsam Asiam penetrantes, prouocabunt ad  
 zelum Iudæos, Rom. II. & Babylon Spiritualis erit  
 præda omnibus gentibus.

XXXVII.

Hanc reformationem lustratio militum DEI,  
 de qua Zach. 13. v. 8. id est, tentationes præcedent,  
 vt ex cruce lux DEI oriatur.

XXXVIII.

Facta reformatione cæloque in montibus Isra-  
 elis

## ET IVDICIORVM DEI. 15

elis, Gogo Magogoe, & ruinata Babylone, quæ demum illustri aduentu DEI totaliter abolebitur, aurea secula hîc in terris Chiliastica aut Theophra-  
stica, corporum humanorû & rerum omnium per lapidem Philosophicum renouatio, seu metamorphosis non speranda, sed in vita æterna, in illâ ἀποκατάστασι per Alchimiam DEI, cæli terræque restoratione & corporum nostrorum glorificatione. Hic itaque militiam cum mundo, carne, diabolo & antichristo, crucem & fletum, in cælo verò gaudium & coronam nobis Spiritum sanctum proponere, & attendere iubere ipsum filium DEI ad vltimam mundi ἀπισίαν, & horrenda illa signa vltimum Christi diem præcessura.

## XXXIX.

Ἀπισία illa vltima à Christo prædicta, & vltimi illi irrisores à Petro descripti prodibunt tunc, cum mundus ob summam rerum opulentiam in summa mundi pace, securitate & licentia carnis ad Epicureïsmum & Atheïsmum prolabetur, omnesque Religiones, ipsumq; aduentum Christi ludibrio habebit.

## XL.

Mansuram tamen Ecclesiã Dei militantem ad finem mundi, & finem militiæ suæ habituram, completo,

## 16 CIRCVLVS OPER. ET IVD. DEI.

completo electorum Dei numero, quia Ecclesia Christi est cor mundi, primum in mundo viuēs, & vltimū in mundo moriens, itura quæ tunc superstes erit obuiam Christo in nubibus aduentanti, & sic in omnem æternitatem cum Deo suo, & omnibus electis cū angelis, tum hominibus futura.

## XLI.

Circulo operum & iudiciorum Dei in mundo clauso finitoque, neque initium neque finis in eo conspicietur; sed sequetur Electis Dei beatissima illa, reprobis vero horrenda & tristissima æternitas.

## O ÆTERNITAS.

Æternum, Æternum, quanta hæc duratio!

O Cælorum Gaudia, O Gehennæ Tormenta  
inenarrabilia!

## ERGO

**D**E O viuendum, cælestia quærenda, terrestria à tergo relinquenda: non è mundo exeundum, quod fieri non potest; sed sic mundo vtamur, ne abutamur. Cum enim hîc & militandum & consilio multiformique illi sapientiæ DEI, quam ipsi Angeli intueri desiderant, inseruiendum sit: Ergo non ocian- dum, sed ad negotiandum nos tam politicos, quam Ecclesiasticos in nostris vocationibus constitutos credamus: *Nemo enim coronabitur, inquit Apostolus, nisi qui legitime militauerit.*

F I N I S.

1. Examen Compendij Theologiae D. Pelagii Baldūini.
2. De Sacra Scriptura eijꝰ auctoritate. D. Schilkeri.
3. Disputatio ita ꝑ Concilium Tridnt. De auctoritate, origine, caꝁ, certitudine, ꝑfectione, sꝑꝰ.  
scientia & ꝑꝑrietate Sacrae Scripturae V. & N. T. D. Jacobi Fonae.
4. De Conciliis. D. Kappneri. (ꝑ Bellarminum.)
5. De vera Christi deitate ꝑ Photinianos. D. Baldūini.
6. De Unionem duarum naturarum in Christo hypostatica. D. Affelmanni.
7. De Communicatione in Christo naturarum & idiomatum hypostatica. eijꝰtm.
8. De Sepultura & Resurrectione Christi. D. Försteri.
9. Resurrectio verborum Christi in cruce Affelmanni.
10. De Resurrectione Christi. Meisnerus.
11. De Messia. Jacobi Martini.
12. De Peccato in Spiritum Sanctum. Affelmanni.
13. De Libero Arbitrio Burchardi Harbart.
14. De Predestinatione Melchior Eccardus.
15. De Fidei & Bonis Operibus. Davidis Voiti.
16. De meritis bonorum operum. Batorius.
17. De Ministerio verbi. Burchardi Harbart.
18. De Ministerio verbi officio. Tarnovij. Disputatio gemina.
19. De Imaginibus ꝑ Mosaicum. Batorius.
20. De Baptismo. Affelmanni.
21. De Coena Domini. Stephanus Disputatio gemina.
22. De Sacra Coena ꝑ Calvinianos D. Andreae Osiaudi.
23. De Traditione Panis Eucharistici. Pelagius.
24. Coena Domini Signum Grae.
25. De Magistratu Politico. Tarnovij. (inim possunt. Tarnovij.)
26. An Totum cum diversa Religionis sedibus & principio Luther. cum Calvinicis salva scientia
27. De Haereticis fœdus non auferendis Tarnovij.
28. De Circulo operum & iudiciorum D. A. Stephani Parnovij.
29. Sidola Babylonica. Meisner.





Aug VI 46(1)

ULB Halle 3  
003 143 333





82

Reha

15. 17







B.I.G.

Farbkarte #13

Black, 3/Color, White, Magenta, Red, Yellow, Green, Cyan, Blue

VLO  
TIV-  
DEI,

*in erectis vltimis*

*Meridiei, cuius  
os coepit.*

*omnes Christianos,  
vnum, sed tribus*

*dum proposita, omni-  
tem Imperatoris & Im-  
Principum & Rerum-  
mune orbis Chri-  
tem hisce per-  
m contra  
em*

NONIO  
S I.

*nia opera sua.*

*12. III. 2725*

*J. hi.*

